Cler.

MUTATIONES
CLERICORUM

SUPERIORUM CONSENSU,

MODERANTE

GUSTAVO HENRICO

MYLIO,

JCto,

CUR. SUPR. PROV. ET FAC. JURID. LIPS.


ASSESSORE,

PRO SUMMIS IN UTROQVE

JURE HONORIBUS

CONSEQUENDIS,

DEFENDET



AUCTOR

FRIDERICUS WILHELM. SCHÜTZ,

LIPSIENSIS.

AD DIEM II. JUNII MDCCXL.

LIPSIÆ

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

PERILLUSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTLIEB DE HOLTZENDORF,

DOMINO HEREDITARIO IN BÆRENSTEIN SUPERIORI ET INFERIORI AGRO LICHTENAVIENSI ETC.

POTENTISSIMI REGIS POLONIARUM ET ELECTORIS SAXONIÆ IN SENATU ECCLESIASTICO ET SUPREMI CONSISTORII PRÆSIDI GRAVISSIMO, CUBICULI REGII COMITI AMPLISSIMO, ET A CONSILIIS REDITUUM PUBLICORUM ETC.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

PERPETUÆ FELICITATIS
INCREMENTA
RERUMQVE OMNIUM EXOPTATISSIMOS
SUCCESSUS
DEVOTISSIMA MENTE APPRECATUR
UNAQVE
HOC INAUGURALE
JURIS ECCLESIASTICI SPECIMEN
IN
HUMILLIMÆ SUBMISSIONIS
ET
REVERENTIÆ
DOCUMENTUM PUBLICUM
EO QVO PAR EST AC DECET
ANIMI CULTU ET OBSEQVIO
CONSÆCRAT
PERILLUSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMI NOMINIS

SUBIECTISSIMUS CLIENS
FRIDERICUS WILHELMUS SCHÜTZ.



CONSPECTUS.

A 2 §.37.

§. I.



Principes Imperii duplicem sustinere personam, principis nimirum, quae ad Secularia, & Episcopi, quae ad Sacra pertineat, juribus Statuum valde molesta, adeoque explosa nostra aetate est sententia. Rectius igitur cordatiores Statibus in terris Evangelicorum qua talibus, non qua Episcopis, jus regendi cultum & ecclesiam tribuunt plenissimum, nullique provocationi obnoxium. Nec immerito. Quo certius enim sub potestate civili omni jure etiam continentur clerici, eo minus in terris protestantium id dubii habet, cum per Instrumentum Sacratissimae pacis Westphalicae jurisdictio Clericorum suspensa, juraque tum Episcopalia, tum papalia Principis Evangelici, vi supremae potestatis, territorii sui finibus complectantur. Tantum vero, quod ad dictum circa Sacra jus attinet, huic ipsi cultus & ecclesiae ordinationi inesse solet laboris, ut Princeps ferme propter rerum, quae in Republica obeundae sunt, varietatem, ac multitudinem ipse solus, vix ac ne vix quidem ejusmodi par esse queat oneri. Qua de causa status subinde, prout utile visum fuerit, jus illud delegare aliis, quinimo ipsos subditos jus Sacrorum ea participare ratione videas, qua illud religionis indoles & pacta fundamentalia exposcunt. Et huc sane procul dubio jus vocandi Ecclesiae Ministros, vocatosque rursus ad alias Ecclesias, aut alias

ejus-

ejusdem Ecclesiæ ſpartas promovendi, quam maxime ſpectat. Quodſi enim utriusque rationem ineas, præſentationem, ſub qua & vocatio pluresve actus in jure eccleſiaſtico intelliguntur, regulariter, ab Eccleſia, Patrono ſcilicet, Miniſterio ſacro & Paroecianis fieri, confirmationem autem ab Imperante per Conſiſtorium ſuperaddi, ipſa rerum argumenta evincunt. Utrumque ſane ex cauſis graviſſimis. Quid quæſo enim magis eſſe poteſt e re Eccleſiæ, quam ut ſacris perſonæ præficiantur idoneæ, quæque doctrina & moribus nulla ponunt offendicula. Uti igitur prædicta jam ratione aut Miniſterii Candidatus, qui Sacro functus eſt munere, ad illud vocatur, quod argumentum a Juris Eccleſiaſtici Doctoribus ſatis ſuperque excuſſum eſt, aut qui jam Eccleſiæ præfuit, ad aliam transfertur; ita ſolus poſterior actus mihi viſus fuit omnino dignus, cujus juſtitia diſſertatione quadam academica expenderetur. Unde inſcripta eſt præſens tractatio: de mutationibus Clericorum, idque, ni fallor, ob rationes non contemnendas: Enim vero Miniſtri Eccleſiæ ſemel vocati ac confirmati, locumque ſuum priorem cum alio commutantis rationem duplicem eſſe conſtat. Prior utique eſt, quando clericus vel in eadem eccleſia, e. g. a Diaconatu ad Archi-Diaconatum & Ephoriam, vel ab alio loco in alium a priori plane diverſum, ita, ut cum vocati emolumento conjuncta ſit vocatio, vocatur; altera, quando clericus, quamcunque ob cauſam, juſtam tamen, ab opimiori ſparta ad tenuiorem detruditur. Et utramque quidem rationem ſub univerſali mutationis conceptu comprehendere licebit (a). Unde de eo mihi in præſenti conſideratio erit, de qualibet mutationis ſpecie inferius acturo. Quo nomine tamen circa proletaria in compendiis paſſim obvia, nimirum jus Patronatus eccleſiaſticum, conſtitutionem Miniſtrorum Eccleſiæ & quæ hujus generis ſunt alia,

A 3 dum

(a) c. 34. c. 7. q. 1.

dum ad ſcopum præſentem directe non faciunt, aut omnino non, aut certe parum hærebo, ſed omnia generaliora hic præſupponuntur. Maxime ergo utriusque mutationis eſſentiam tam ex veterum monumentis, quam ex ipſis rerum argumentis ad principia juſti & æqui revocare, eorumque opiniones refellere annitar, qui ejusmodi mutationes in Eccleſiis Proteſtantium odioſas eſſe, nec adeo fere ſuſcipiendas evincere conantur.

§. II.

Ne vero, cum thema hujus tractationis ſit compoſitum, & alterum rubricæ vocabulum, Clericum videlicet, ſilentio præteream, nunc paucis quoque, quid mihi eo veniat nomine, diſpiciendum erit. Ubi quidem Clericorum, vel Cleri nomen, ex ſcripturæ ſtylo ad totam pertinere eccleſiam (b), ſed invaleſcente Papatu ſolis Eccleſiæ Miniſtris vindicandum eſſe in aprico conſiſtit (c). Uti vero Clerus ex pontificiorum hypotheſibus peculiarem format ſtatum, qui per omnes res publicas ſe diffundit quidem, iis tamen ſubeſſe non creditur, quin imo illorum hominum innumerus propemodum eſt numerus, eorumque ſtatus uſque adeo involutus, ut difficile forte, ne dicam impoſſibile alicui futurum ſit, illa omnia dare ſatis expedita, ita mihi ex jure eccleſiaſtico ſtatuum Imperii Evangelicorum differenti, non de Clero Papali, ſed de Clericis in Eccleſiis Proteſtantium eorundemque mutatione ſermonem hic eſſe, manifeſtum eſt. Sunt autem & hi ipſi non unius ejusdemque generis, de quo quidem argumento alii curatius diſpiciant, ne ultra limites propoſitæ tractationis præter neceſſitatem excurrere videar. Igitur impræſentiarum, pro inſtituti ratione, vel binis verbis declaraſſe ſufficiet, me per totam hanc diſſertationem non tam de Clericis ſecundi, quam potiſſimum primi ordinis, acturum fore, talibus inquam, qui eccleſiam paſcunt

(b) *1 Petr. V, 3.* (c) *c. 1. Diſt. 21.*

paſcunt verbi prædicatione, ſacramentis & clavibus, quive ad ſacra ejusmodi miniſteria, ſeu functiones Eccleſiaſticas obeundas per ordinationem ab Eccleſia rite conſtituti, κατ' ἐξοχὴν Clerici appellantur (d).

§. III.

Ante omnia autem, his præſtructis, quid ſit illa clericorum mutatio, pluribus videndum eſt. Appellationis hujus ſi, quod vulgo nec abs re ab auctoribus ſcriptionum fieri ſolet, ratio a me reddenda eſt, me illam e Epiſtola PELAGII II. (e) mutuaſſe non diſſimulo, quando ad Benignum Archiepiſcopum, de tranſeuntibus ad aliam ſpartam ſacram clericis differens, ita ſcribit: *Scias, frater dilectiſſime, aliud eſſe cauſam præſumtionis ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat ſedem, qui non mutat mentem, id eſt, qui non cauſa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel ſuæ delectationis, migrat de civitate in civitatem, ſed cauſa neceſſitatis aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati præferenda eſt, aliud enim eſt mutare, aliud mutari. Nam aliud eſt, ſponte tranſire, & aliud eſt, neceſſitate aut coacte venire. Unde non iſti mutant civitates, ſed mutantur &c.* Quo loco illum, qui ad aliam Eccleſiam vocatur, *mutari* affirmat, ipſumque ad illam tranſitum, *mutationis* nomine appellat. Et alias apud Claſſicos etiam nota phraſis eſt: *Solum mutare*, ſeu: relicta patria, in alium emigrare locum. Hinc CICERO (f) *locum mutare*, & PLINIUS (g) *ſedem mutare* dixerunt: Et illud, neſcio jam cujus, pervulgatum eſt:

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Eo quoque ſenſu in Epiſtolis Pontificum decretalibus (h) *commutationis* nomen occurrit, quemadmodum & Juris Canonici Auctores *translationis* & *mutationis* vocabulo promiſcue

(d) *d. diſt. 21. c. 1.* (e) *can. 35. c. 7. qu. 1.* (f) *L. 1. de Legibus.*
(g) *H. N. L. II. c. 37.* (h) *c. 5. X. de Rer. Perm.*

miſcue utuntur. (i) Unde conſtat, mihi in hac tractatione *mutationem Clericorum* in generali ſenſu nihil aliud eſſe, quam *actum, quo Miniſter Eccleſiæ, relicto, in quo jam erat loco, ad alium, vel ejusdem, vel diverſæ Eccleſiæ particularis ſeu topicæ, ob utilitatem, vel neceſſitatem publica auctoritate tranſit.*

§. IV.

At ne ſic quidem omnis obſcuritas, in vocabulo *mutationis* ob ejus æquivocationem latitans, ſublata eſt. Latinæ linguæ mediocriter peritis ſatis notum eſt, verbalia in *io*, qualia ſunt *informatio, perfectio, creatio &c.* tum actionem, tum paſſionem denotare & utrumque ſimul involvere; Nam & de eo, qui informat, informatio prædicatur, & de eo, qui informatur, diverſa tamen ratione; Et materiæ dum formam recipit, tribuitur informatio & cauſæ efficienti, dum formam imprimit. Et ſic tum in cæteris compluribus verbalibus in *io*, tum & in mutationis vocabulo uſu venire ſolet; Nam Clerici mutationem ita concipere poſſis, ut vel actionem, vel paſſionem denotet; ſive ut animo concipias vel Clericum ſuas rationes mutantem, vel ejus rationes ab alio mutatas. Illam ſignificationem in hac tractatione miſſam facio, nam Clericus ſuæ mutationis auctor & cauſa eſſe regulariter nec poteſt ipſe, nec debet. Remanet tamen alia mutatio activa, quæ extra Clericum exiſtit. Et his limitibus poſitis nunc facile apparet, utramque ſignificationem mutationis hoc loco in cenſum venire & concurrere, ita tamen, ut clericus ſe paſſive, tanquam mutationem admittens & recipiens, habeat, activam autem mutationem alii relinquat, a quo illam expectet. Omnia autem in hac mutatione quatenus ſignificationis eſt activæ, pro diverſitate caſuum

(i) Ill. BOEHMER *J. Eccl. Prot. Tit. 7.* SCHILT. *J. J. C. L. 1. tit. 17. §. 11.* DUAREN. *de Sacr. Eccl. Miniſt. ac Benef. L. 5. c. 3.* & alii quam plures.

ſuum ad Principem vel ſolum, vel Patronum ſimul cum approbatione miniſterii & populi mediate redire debent. Nulla enim Eccleſia, poſt Prophetarum & Apoſtolorum exceſſum, extraordinarie & immediate ſibi a Deo mittendos expectavit, ſed, interveniente hominum electione, verbi divini Miniſtros conſtituit. Fruſtra igitur rejectis cauſis vocationis miniſterialibus immediata hodie expectatur vocatio. Quod tamen non ita accipiendum eſt, ac ſi ſacri muneris & imprimis mutationis Candidato nullo modo liceat per modum agentis concurrere; vix aliter enim aut vocatio prima aut mutatio hodie aut certe raro aliter fieri ſolet, quam ſi vocandus aut mutandus modeſte ſeſe ac ſtudia ſua offerat, aut ab aliis commendetur. Id tantummodo cavere oportet, ne ſacrum munus, quod omni obtrectatione vacuum eſſe debet, per nefarios ac deteſtabiles ambitus, ſeu Simoniam obtineat; Petere enim licet, non currere. Ex quo nunc facile conſtat, non tam de paſſiva mutatione, quæ tamen neutiquam excluditur, animum mihi eſſe hoc loco diſſerere, quam imprimis de activa, quatenus eſt actio Principis, aut patroni mutationem inſtituentis.

§. V.

Sed & hæc activa clerici mutatio non unius ejusdem rationis eſt. Ut enim duo maxime ſunt, quæ conſilium mutandi clerici operantur, ita etiam duæ potiſſimum mutationis illius ſpecies conſtitui debent. Nempe ut de mutatione cogitetur, aut neceſſitas aut utilitas ſuadent. Continentur illi termini in ſupra §. 3. allegata Pelagii Epiſtola. Equidem hæc duo non disjungenda eſſe videri queat, quia ſe mutuo involvunt, ita, ut quod utile eſt etiam quodammodo ſit neceſſarium & vice verſa, & ſi aliqua utilitas adſit, modo ne cum honeſtate pugnet, ea ſemper neceſſario debeat obſervari, poſcente id lege naturæ, quæ ſemper perfectionem intendit, & quod neceſſarium eſt, utilitate ſua minimum

nimum in certo genere non careat, id quod imprimis ad hanc noſtram materiam facile accommodari poſſet. Et tamen ſicut in ipſis terminis utilitatis & neceſſitatis formalis eſt differentia, ſic & in multis utriusque juris capitibus & præcipue in hac tractatione inſigne earundem eſt diſcrimen. Nam utilem mutationem appello, quando miniſter eccleſiæ propter egregia merita ad gravius transfertur munus, quod tum imprimis eccleſiæ, tum etiam miniſtro translato uſui ſit; Hoc enim interdum eccleſiæ utilitatem requirere quis neget? id quod tamen ita intellectum non velim, quaſi priori eccleſiæ utilitas perinde auferatur, ſed ut proportio obſervetur, an nimirum in altera eccleſia plus utilitatis, quam in priori fieri queat. Unde ſatis quidem apparet, utilitatem non a commodo clerici privato, quod ipſe forſan e largioribus proventibus habet, licet eam non ſimpliciter excludam, ſed potius ab utilitate Eccleſiæ derivari, cum utilitas publica ſemper privatæ præferenda ſit. Hoc tamen loco vocabulum: utile ad Miniſtrum, utilitatis eccleſiæ vel maxime etiam habita ratione, potiſſimum refertur, cui hæc mutatio laudi, honori, & commodo eſt; & hoc quidem ob alterum hujus diviſionis membrum oppoſitum, quo contraria huic mutatio appellari ſolet incommoda, & pœnalis infra §. 26. Sæpe tamen & ille, quem penes mutandi jus eſt, ad aliqua incommoda, quæ vel clerico in ſua eccleſia a male moratis auditoribus, aut alio quocunque modo vel eccleſiæ ab illo creantur, evitanda, mutationem ſuſcipit, quod cum ſit, neceſſariam mutationem dixeris. Non quaſi hæc neceſſitas omnem utilitatem excludat, utiliſſimam enim eandem fieri poſſe, res ipſa docet, & eventus ſæpe probavit, & accidere interdum ſolet, ut ſi locus mutetur, mentis etiam affectus mutetur, ſed diſtinctionis fundamento ab eo deſumto, quod in mutantis animo primum oritur, eumque primo ad mutationem ſuſcipiendam allicit. Occaſionem hujus diſtinctio-

ctionis, uti jam dictum, mihi suppeditavit locus Pelagii supra allegatus: Clarioribus tamen & commodioribus verbis terminis magis relativis celeberrimus JO. SAM. STRYCKIUS (k) utitur; illam mutationem, quæ propter utilitatem, *honestam* & *voluntariam*, hanc, quæ propter necessitatem, *inhonestam* & *necessariam* appellans.

§. VI.

Luculenter ergo ex dictis apparet, suo fundamento hanc divisionem mutationis in suas species niti, quibuscunque tandem notionibus ab auctoribus enuncietur; quam tamen eorum varietatem jam non valde moror, hoc tantum prætermittendum non esse existimans, quosdam JCtos eam in *Translationem* atque *Translocationem* dividere, non tam in nominibus his, quæ revera coincidunt, quam in ipsa re differentiam statuentes. Illam mutationem, quæ utilitatis fit gratia, appellant *Translationem*, (l) quæ nihil aliud est quam actus, quo Clericus propter merita ab inferiori ad majorem spartam publica auctoritate, interveniente vocatione, transire jubetur, ut ad Ecclesiæ ædificationem plus conferre & pinguiores proventus in anteactæ honestæ vitæ ac exhaustorum laborum compensationem capere possit: germanice audit: Eine Versetzung. Contra vero *Translocatio* est actus, quo pastor ad docendum & ædificandum non plane ineptus a digniori ad inferiorem locum publica auctoritate dimittitur, vel ob dotes animi admodum mediocres, vel ut imprimis negligentiæ aut scandali Ecclesiæ suæ præbiti pœnam luat. Nostris hæc species mutationis dicitur: Eine Pönitentz-Pfarre. Non tamen hæc distinctio est omnium JCtorum, siquidem CARPZOVIO voce translocationis utraque venit mutatio (m).

B 2 §. VII.

(k) Differt. *de Translocatione Ministrorum Ecclesiæ.* Halæ 1706. habita §. 6.

(l) Quod argumentum docte satis pertractavit B. JO. CHRIST. MEIS, Differt. inaug. de *Translatione Ministri Ecclesiæ* Lipſ. 1692. habita.

(m) *Jurispr. Eccl. Lib. 3. tit. 10. def. 118.*

§. VII.

Nunquam ſane defuerunt, qui utramque mutationis Clericorum ſpeciem valde improbarunt, probos & διδακτικους viros a ſuo cœtu nunquam divellendos, improbos autem & ατακτους ne minimo quid[illegible] cœtu tolerandos eſſe exiſtimantes, ob ration[illegible]atim mentio fiet. Sed nec defuerunt diſſentientes, qui cauſas adduxerunt haud leves, quibus & transferri & translocari poſſe Clericum confirmarunt; & certe praxis hodierna Conſiſtoriorum, quam neutiquam ſimpliciter improbandam eſſe dixerim, niſi impudentius agere videri velim, oſtendit, adhuc ita cum Clericis agi ſolere, ut iis tranſitus ab alio ad aliud munus ſacrum, & quidem utroque modo aut concedatur, aut decernatur. Cum itaque hæ duæ rationes in noſtris Eccleſiis receptæ & non de nudis vocibus, uti alias ſæpe, ſed de re multum ponderis in ſe comprehendente agatur, oſtendere libet, quid circa utraque juſtum ſit, & quid ad dubia diſſentientium reſponderi queat, breviſſimis ſubjicere; & initio quidem de Translatione dicendum eſt.

§. VIII.

Dictum fuit de Translationis eſſentia, cum ſupra §. 5. illa definiretur. Eundum nunc eſt per definitionis partes earumque ſingularum reddenda ratio. Quod antequam fit, de exiſtentia quoque illius aliquid monendum videtur. Nititur autem illa firmo ſatis ac ſtabili fundamento; ſacris enim in literis elegantiſſimum legimus teſtimonium in priſtina eccleſia apoſtolica extitiſſe translationis uſum, ſuffragante Paulo (n), dum docet, illos, qui bene adminiſtrarunt, id eſt, qui in minoribus officiis ſuam probarunt diligentiam & alacritatem, ad majora ut evehantur dignos eſſe, judice ipſo Salvatore (o). Præterea ſi eo nomine antiquorum Hiſtoricorum monumenta inſpicias, de exiſtentia translationis

in

(n) *1 Tim. III, 13.* (o) *Matth. XXV, 29.*

in Ecclesia primitiva hoc imprimis habebis, quod, si quædam Episcoporum Synodus pro sua prudentia necessarium esse judicaverit, ut in rem ac emolumentum ecclesiæ episcopum quempiam de minori ad majorem sedem transferret, nulla plane lex fuerit, quæ id fieri vetaret, sed sexcenta istiusmodi translationum exempla recenseri possent, quemadmodum ingentem illorum copiam SOCRATES (p) in hanc rem congessit. Igitur res ipsa in se non erat absolute illicita; sed nemini saltim se ipsum ad aliam sedem sine concilii cujusdam provincialis consensu atque approbatione transferre licebat. Nec officit, quod nonnulli canones translationem absolute & generatim improbare videantur, tanquam rem nullo unquam tempore permittendam, Nicæno (q) Sardicensi (r) & aliis quibusdam conciliis sine ulla exceptione vel limitatione eam fieri prohibentibus. Etenim salva res est, si textus cum textibus rite conferantur, & alii ex aliis explicentur. Quid multa? Non desunt canones ipsam translationem eo restringentes, si quis Episcopus sinistris artibus, sine ulla legitima provincialis Synodi auctoritate se ipsum in aliam sedem intrudat. Ita canones sic dicti apostolici (s) hac in re distinguunt: *Episcopo non liceat sua relicta parochia ad aliam transilire, etiamsi a pluribus cogatur: nisi sit aliqua caussa rationi consentanea, quæ cum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre: idque non ex se, sed multorum episcoporum judicio & maxima exhortatione.* Audiamus quoque Concilium *Carthaginense* quartum (t), quod eandem distinctionem adhibet ita decernens: *Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si id utilitas ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo clericorum & laico-*

B 3 *rum*

(p) *Lib. VII. Hist. Eccl. c. 35. & 39.* THEODORETUS *Lib. V. c. 4. & 8.*
(q) *can. 15.* (r) *can. 1.* (s) *can. apostol. c. XIV.* (t) *c. XXVII.*

rum episcopis porrecto, per sententiam Synodi transferatur. Ne ergo plane existimes, hos canones priorum esse emendationes, neve antinomiam quandam subesse hic putes, cum quod alii disertis verbis prohibuerint, alii contra fieri permittant. Forsan enim haud abs re credas, quod licet in canonibus Concilii Niceni & Sardicensis hæ exceptiones verbis expressæ non sint, tamen intelligi debeant: quia ipsum Concilium *Nicænum Eustathium* episcopum *Berœæ* ad sedem Antiochenam transtulit, uti PAGIUS (u) e Sozomeno aliisque historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus recte observat. Alias sane eo ipso patres isti suam ipsorum regulam primi violassent, eique intulissent injuriam, si in nullo unquam casu episcopum de sede alia ad aliam transferri debere statuissent. Veritati igitur quam maxime consentaneum est, eundem hunc omnium canonum scopum fuisse, ut avaritiæ, ambitioni & eminendi studio in hominibus, ad magna quævis contendentibus occurrerent, qui illicitis viis, factionibus, vel meris populi studiis, non expectantes Synodi cujusdam electionem ac consensum, ipsimet in alias sedes sese ingererent, recta via neutiquam exclusa. Et si usum hodiernum spectes, ministrum ecclesiæ recte & fideliter se in officio gerentem ad altiora officia etiamnum promoveri posse & solere quoque exempla loquuntur; quia nihil est, quod, quo minus illud licite fiat, obstet, de quo tamen infra.

§. IX.

Cæterum qui ad aliam ecclesiam transfertur, Clericus esse debet omnino talis, quem non cathedra facit Sacerdotem, sed ille cathedram, quem non locus sanctificat, sed ille locum, (x) clericus inquam, qui, exiliori muneri ecclesiastico adhuc admotus, sed iis ingenii dotibus atque viribus instructus est, quæ ad majoris muneris administrationem requiruntur.

(u) *Crit. Hist. Chronol. in Annal. Eccl. Cæsar. Baron. Edit. Antverp. n. XXVI. pag. 403.*

(x) *c. 12. Dist. 40.*

tur. Huc imprimis pertinet notitia rerum divinarum accuratior & profundior, facultas, quam recte intellexit, etiam dilucide prompteque interpretandi ſacram ſcripturam, porro pietatis exemplum & illuſtria virtutum ſpecimina, quibus Auditores ſuos ad virtutes ſectandas accendat, ſvada ſeu eloquentia, quæ coetum majorem & profanis hominibus plerumque refertum argumentis ſcriptura deſumtis ad aſſenſum permovere poſſit; auctoritas etiam & perſonæ dignitas cum prudentia eccleſiaſtica conjuncta, quæ non parum faciunt ad aliquam de ſe opinionem apud vulgus parandam & quæ ſunt alia dona, vulgo ſic dicta adminiſtrantia, quoniam ad rationem externam Miniſtri, ut miniſter eſt, ſpectant. Dona enim ſanctificantia quæ appellantur, ſive virtutes a ſpiritu ſanctificante proficiſcentes & quæ intra animum ſunt, hoc loco in cenſum non veniunt, quia ſolummodo Deo auctori nota ſunt, & ab ipſo ſolo, tanquam ſummo καρδιογνώστῃ dijudicari poſſunt, Patrono autem ſive eccleſiæ vulgo ob inſignem quorundam hypocriſin & diſſimulandi artem vix ac ne vix quidem cognita eſſe ſolent, quandoquidem de iis ex moribus externis probabiliter quidem, non autem certe ac infallibiliter judicari poſſe ſtatuendum eſt.

§. X.

Pergo itaque ad formam translationis, ſive id, per quod uti a cæteris mutationibus, ita inprimis a translocatione illa deſtinguitur. Conſiſtit autem ea vel in legitima vocatione clerici ab eccleſia minore ad aliam majorem, vel in adſcenſu ab inferiori gradu ad ſuperiorem in eadem eccleſia, quod fieri ſolet, quando Diaconus ad Archidiaconatum & deinceps ad Paſtoratum &c. adſpirat. Et talem per gradus aſcenſum ſive ἀναβαθμῶν olim abſervatum fuiſſe, inter omnes conſtat; nemo enim priſcis temporibus in epiſcopum eligi poterat, niſi qui vel ſubdiaconi vel diaconi vel presbyte-

ri

re munere functus fuisset (y). Et idem vere domestica Saxoniæ jura, cæteris tamen paribus, innuunt. Nam serenissimus legislator in Ord. Ecclesiastica (z) disertis verbis providit: Daß hinführo, so viel möglich, keiner auf eine Pfarre verordnet werde, er habe denn zuvor eine Zeitlang auf einem Diaconat gedienet, oder sich sonst in Predigt-Amt geübet ꝛc. Absolutæ tamen necessitatis istam translationem esse, ita, ut nullus a Candidato Ministerii saltus, si e re ecclesiæ visum fuerit, fieri debeat aut possit tantum abest ut existimem; ut potius translationem Ecclesiæ Ministri in officio jam constituti, per saltum contingere posse contendam, licet vel maxime alias, secundum canones ordinate ad Ordines sit accedendum (a), alioquin enim textus Ordinat. Eccl. modo allegatus limitationem: So viel möglich, non adjecisset. At vero de eo mihi hic Sermo est, quod congruum & decorum, quodque olim usu receptum, hodie non facile intermitti debet. Cæterum ex translationis definitione, uti illam supra dedi, consequitur, omnia in illa legitime fieri debere, æque ac in omni ad ministerium vocatione, ita, ut funditus extirpanda sit omnis translationis nundinatio, per quam crimen Simoniæ committitur (b). Hinc quod in genere circa omnem Clericorum vocationem Consistoriis in jam laudata Ordin. Eccl. (c) injunctum est, ut nimirum in præsentationem patroni aliosque actus sollicite inquirerent, neque personis, quæ per amicitiam, consanguinitatem, pecuniam, similesve casus obliquos sese ingerere moliuntur, sacrum committerent ministerium, id ipsum cum juri divino, quippe quod omnes fraudes in tanto negotio aversatur, quam

(y) *cap. 9. X. d. Ætat. & qual. Cler.*
(z) *rubr.* Wie ein Kirchen-Diener vor den Consistorialn.
(a) *c. 2. Dist. 48.*
(b) *l. 30. C. d. Episc. & Cler. c. 5. X. d. Rer. Perm. c. 38. d. Sim.*
(c) *rubr.* von Beruf und Annehmung der Kirchen-Diener §. zum dritten.

quam maxime congruat, ad translationem æque applicandum esse omni vacat dubio. Nec minus ergo, quas pastoribus officio ecclesiastico se ingerentibus pœnas statutas olim fuisse ex Jure canonico videre est, (d) easdem etiam, qui translationem & αναβαθμον illicitis modis aut affectant aut consequuntur, mereri statuendum est.

§. XI.

Interea cum omnis mutatio in transitu ab alio loco ad alium consistat, atque ideo duplicem terminum requirat, tum eum, a quo clericus procedat, tum ad quem tendat, etiam hac in causa uterque terminus translationis est spectandus; terminum a quo eam dico ecclesiam, quam clericus deserit, particularem scilicet, sive cœtum quorundam fidelium certo loco habitantium; cujus generis olim ecclesia Corinthiaca & Thessalonicenium erat; addo pariter minorem, quales solent esse oppidulorum & pagorum; simpliciorem non absolute, quod omnis compositionis sit expers, sic enim non esset ecclesia, quæ formaliter cœtus est plurium hominum, sed secundum quid & in certo genere ita appellatam, quando non ex pluribus minoribus constat, qua ratione magis compositas & minus simplices dico illas ecclesias, quibus plures filiæ, uti vocant, additæ sunt; Talibus enim cœtibus credentium minoribus ac simplicioribus in oppido quodam vel vico contentis etiam alius pastor exilioribus donis, si modo vitæ & morum integritate præditus sit, utiliter præesse potest. Terminus autem ad quem translatio tendit, etiam est ecclesia, & illa quidem particularis, major tamen, in qua ob schismata, hæresesque metuendas & ob corruptos hominum mores doctioris ac gravioris Theologi præsentia desideretur; quales sunt vulgo emporia & urbes magnæ luxui, Spinozismo, Atheismo, aliisque pietatis pestibus maxime expositæ.

C §. XII.

(d) *Can. 31. c. 7. q. 1. C. 31. c. ead.*

§. XII.

Causæ, quæ illum, quem penes transferendi jus est, movere possunt debentque, ut de translatione cogitet, plures sunt: Interna, seu quæ intra ejus animum existit, illumve sollicitat, est ingenuum desiderium, honorem Dei, & ecclesiæ salutem per subjectum maxime idoneum promovendi: externa autem esse potest non una. In genere ecclesiæ ejus, cui præficiendus est indigentia & necessitas, utpote quæ ob varia pericula cordato, perito, & gravi viro opus habet; deinde merita Clerici, quibus adhuc inclaruit, eaque tum a probitate, tum a prudentia, tum ab eruditione ejus proficiscentia. Ante omnia autem ministri Ecclesiæ animus pius ac sincerus erga Deum & in proximum, quantum de his saltim extrinsecus apparet: Pietas enim, uti quidem essentiale ministri requisitum non est, siquidem potentia verbi non a docentis sanctitate, sed a Deo ejus auctore dependet, ita tamen, egregium est adminiculum ad exorbitantes ab æquitate homines ad virtutem reducendos, nec quicquam post Verbum Dei pectora mortalium melius flectit, quam clerici exemplum. Ubi autem de pietate clerici satis constat, tunc ad externa, dotes illius supra commemoratas pariter respiciendum. Præterea quoque ad causas impulsivas accedere interdum potest, ut secundaria tamen, aër sanitati ejus & corporis constitutioni magis conveniens, item, alimentorum penuria, qua clericus ejusque familia in tenuioris sortis ecclesia adhuc laboravit; qua de causa Divus Augustus, Elector Saxoniæ, pastores paupertate pressos, quo minus fame & inopia pereant, per translationem aut alios modos adjuvandos esse, sancivit (e). Quod si igitur quis causis hisce impulsivis decantatum illud: Non oportet Episcopum & reliquos ordines de civitate ad civitatem migrare, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus trans-

(e *Ord. Eccl. tit.* von Beruf und Annehmung der Kirchen-Diener §. So dann einer Armuths halber rc.

transſeatur &c. (f) objiciens, eo nomine illicitam eſſe translationem fortaſſe judicet, prædictas cauſas moventes vel maxime repudiando, illum ideo non audiendum eſſe jam ſupra expoſui, quia, quod ibi patres ſecundum quid decreverunt, pravam tantummodo conſvetudinem & abuſum reprehendentes, hoc ab illis nullo modo ſimpliciter dictum accipiendum eſt, nec adeo nodus in ſcirpo quærendus.

§. XIII.

At enimvero differunt a cauſis impulſivis a me jam expoſitis cauſæ finales, ſeu illi effectus, quos Patronus, de translatione bene meriti paſtoris cogitans intendit, & quos ſe per actum iſtum conſecuturum eſſe putat; Sunt autem illæ, ut vulgo in plerisque aliis humanis actionibus duplicis generis, aliæ primariæ, aliæ ſecundariæ. Primariarum alia eſt immediata, ſeu proxima, ut utilitas, quam ex dotibus alicujus Clerici doctioris in particulari eccleſia, ad quam transfertur, expectamus ac ſperamus, alia mediata, ſeu remota, nempe regni cœleſtis per plurium converſionem amplificatio. Datur etiam alia cauſa finalis, abſolute ultima, ideo ſic dicta, quoniam in illa omnis creaturarum rationalium actiones ultimato acquieſcunt, ſcil. gloria Dei, cujus in honorem vergit, quando verbum Domini per doctiorem Clericum facunde ac graviter in numeroſiori cœtu docetur, & contra diſſentientes maſcule propugnatur. Secundariæ cauſæ finales etiam poſſunt eſſe variæ; 1) decorum eccleſiæ particularis; eſt enim copioſiori cœtui ornamento ac dignitati, nec parum ad ejus exiſtimationem facit, ſi facundo, ac auctoritate conſpicuo concionatore gaudeat, 2) gratus animus Patroni bene merito Clerico per ἀναβαθμὸν teſtandus, 3) compenſatio laborum a Clerico adhuc in parvo cœtu exantlatorum, & quæ ſunt alia ejusdem generis. Ut enim longe a cauſis finalibus abeſſe volo Clericorum avaritiam, ac pinguiorum

(f) *Conc. Nic. can. 15.*

rum proventuum venationes, ut voluptatibus carnalibus libere indulgere possint, nec non superbiam, qua inflati propter majores honores obtinendos muneri splendidiori præfici cupiant; talem quippe finem spurium ac illicitum esse, optimus quisque mecum sentiet; Propterea tamen, ex quadam superstitione, largiorum proventuum & honorum ex novo munere provenientium commoda aut insuper habenda, aut plane repudianda ac spernenda non sunt. Teste enim ipso Salvatore nostro (g) pio ac probo Clerico omnino licet lautiorem ac quodammodo splendidiorem vitam agere, uti etiam hac de causa Apostoli Pauli testimonia prostant (h), ex quibus illico apparet, homines sacro muneri admotos largius stipendium ac majorem dignitatem in remunerationem laborum suorum merito consequi, & quidem tanto uberiori mensura, quanto graviores sunt labores, quantoque est major utilitas ab eorum conatibus in ecclesiæ amplificationem emanans.

§. XIV.

Et hæc quidem de natura ac constitutione translationis conclusionibus subsequentibus eo melius intelligendis præstruenda erant; sequitur, ut, an illi etiam in ecclesia locus esse possit debeatque, an non potius inde sit proscribenda, consideretur. Hoc igitur nunc agendum est, ut, an, & quid circa hancce priorem mutationis clericorum speciem, eamque honestiorem atque utiliorem justum & æquum sit, dispiciam. Affirmare hoc, ac quibusdam argumentis assertionem corroborare annitar, dissentientium quoque objectionibus occurrere tentabo, ut, hanc translationem Clerici juste exerceri ab ecclesia, & parochum illi obtemperare decere, appareat.

§. XV.

(g) *Luc. X, 7.*

(h) *1 Epist. ad Timoth. V, 17. 18.*

§. XV.

Et initio quidem ſubjiciam, quod nemo non largietur, directionem eccleſiæ externam a ſummo rerum ſtatore principibus & patronis commiſſam eſſe. Quemadmodum autem in veteri umbrarum oeconomia, ubi ipſe Deus immediato quodam regimine faſces Reipublicæ Theocraticæ tenebat, nullus ad ſacrum munus obeundum admittebatur, qui mutilato, atque quacunque alia ratione vitiato corpore aut natus, aut caſu factus erat, ſed qui integra corporis forma incedebat, ne quid contumeliæ aut contemtus ad officium ſacrum redundaret; ſic Deum hoc Symbolo teſtatum voluiſſe præter alia, quæ Theologorum eſt excutere, forte non vane auguror, circumſpecte Principibus atque Patronis in ſeligendo parocho verſandum eſſe, ut cum Dei loco Eccleſiam gubernet, Deum etiam imitentur, & hoc maxime agant, ut de viris, non tam corpore quam animo integris, tum qua eruditionem, tum qua vitam ac dexteritatem, tum qua auctoritatem, donaque docendi tanto magis ſolliciti ſint, quanto magis conſpicua in magnis cœtibus munera, in quibus gregem Domini paſcendum principes curare oportet. Quod ſi vero Clerico competit, principi & patrono nomine Dei vocanti non repugnare, ſequitur, illum, ad aliam majoris & honoris & oneris ſpartam evocatum morem gerere & poſſe & debere, imprimis ſi aut per nativitatem, aut ratione præſentis domicilii atque muneris, aut propter accepta beneficia ac ſtipendia, lege grati animi inſimul convictus, jure obſequii civilis teneatur is, quem ſuperior transferre intendit. Usque adeo autem fundata mihi videtur hæc ipſa a me prolata ſententia, ut vix ac ne vix quidem illam in dubium vocare poſſis, ſi vel maxime præceptum Petri: paſcite gregem Chriſti vobis commendatam non compulſi, ſed volentes; (i) opponas, paſtorem inde ad aliam eccleſiam obtor-

(i) 1 Petr. V, 2.

obtorto velut collo rapi non posse, quin potius reluctanti aliud persuadendum, sed in recusatione perseverantem nequaquam compellendum esse existimans. Enimvero eo casu, si persona alia idonea eligi nequeat, quin licita omnino sit compulsio, ecquis dubitet? & si forte ex Apostoli Petri afferto hic peccati quid subsit, sane non erit a compellente, sed compulso, cui incumbebat vocationi legitimæ non resistere: Etenim in confesso est, Apostolum de compulso ad munus Ecclesiasticum non loqui, sed potius de eo, qui illud jam tum suscepit, ut hic spontanea quadam cordis & animi propensione expediat officium, non autem coactus, seu cum tædio, nam hæc servitia minime placent (k).

§. XVI.

Dein, cum constet, viris oneri ferendo pares esse debere, majores autem cœtus majorem prudentiam atque experientiam requirere, quis non videt, summæ æquitatis esse, ut qui in minoribus pagis aut oppidis peritiam sibi acquisiverunt, quam profecto ex academiis non solent referre juvenes, in majores urbes transferantur; pone enim juvenes etiam divinarum cognitionis rerum haud expertes; pone, inquam, juvenes confidenti loquentissimos auræque popularis aucupes felicissimos, sed insimul ab experientia crudos, nullisque tentationum ventis confirmatos; horum certe animus nondum ita subactus est, ut invidiam, calumniam, & contemtum, quibus Ministri Verbi in populosis urbibus expositi sunt, quam alibi, ferre possint. Hinc metuendum, ne in affectuum intemperiem facile quacunque etiam mediocri offensa rapiantur magno auditorum scandalo. Quomodo itaque ii alios gubernabunt, qui suarum rerum suorumque affectuum nondum rectores existunt? quomodo impœnitentes de vitiorum fœditate satis graviter quidem, sed moderate tamen arguent, qui juvenili fervore facile

(k) BRUNNEM. *J. Eccl. L. 1. cap. 5. §. 13.*

le ad asperiora verba abripi solent? quomodo afflictos erigere ac confirmare, qui ipsi nondum aliquid afflictionum experti sunt? quomodo ad strenuum sanctimoniæ studium stimulare, quorum ipsorum pietas ob juventutem, quæ in urbibus, ubi frequentior, quam in vico peccandi offertur occasio, ad varia peccata sollicitari solet, sæpe labascit? Quare æquitas, imo necessitas svadere videtur, ut illi, qui aliis jam ecclesiis bene præfuerunt, & qui alios pietate ac morum gravitate superarunt, transferantur, majoribusque præficiantur.

§. XVII.

Cæterum ut prudens Reipublicæ gubernator nonnunquam infirmitati ac præjudiciis civium aliquid concedit, atque ad illorum opinionem quadantenus sese accommodat, sic ad meam causam confirmandam non parum facere videtur argumentum ab auditorum opinione & infirmitate petitum. Quod enim satis divulgatum esse novimus omnes, mundum regi opinionibus, illud in vera etiam ecclesiæ membra, quandoquidem & isti homines esse non desinunt, convenit: Atque experientia nos abunde docet, quam vehementer omnes iis, quæ in Ministro Ecclesiæ externa appellamus, commoveri soleamus, ætate, auctoritate, personæ gravitate, ac aliis. Atque ut in pagis plebs juventutem Clerici novitii non admittit; ita in urbibus ei, qui tyrocinium, ut ita dicam, in sparta inferiore nondum edidit, reverentiam decentem ab Auditoribus sæpius denegari videmus. Ut itaque infirmitati humanæ succurratur, tutissima eligitur via, si Patronus more veteris ecclesiæ ordinem inter Diaconatum, Pastoratum & Ephoriam servet, & Clericos per hosce gradus evehat, hominesque annis diversos, dotibusque animi, majoribus cœtibus præficiat, post edita in minoribus ecclesiis doctrinæ & prudentiæ ecclesiasticæ documenta.

§. XVIII.

§. XVIII.

Accedit, non ſane tralatitium ſi quid video, & hoc argumentum, quod translatio Clerici cum ordine, cujus Deus eſt amantiſſimus, mirum in modum reſpondeat; Deus enim, qui ſtatim in prima creatione omnia elegantiſſimo ordine conſtruxit, qui in veteri ſacrorum œconomia umbratica apud Judæos ad ordinem, veluti ad amuſſim ubique reſpexit, & qui imprimis in N. T. eccleſia, omnia κατα ταξιν και ευσχημοσυνην fiant, per Apoſtolum juſſit, absque dubio vult, ut in ordine quoque ſacro curando ita verſetur eccleſia, &, cujus in illa potiores partes magiſtratus, ne nondum meriti, ne dicam indigni plane atque expertes Clerici digniſſimis & optime meritis præferantur; Ut enim juſtum eſt veteranum exercitatumve aliis præficere, non his juvenem inexpertum, ita etiam bono ordini in eccleſia conſentaneum eſt, probe exercitato multisque laboribus exhauſtis ſubacto digniori ſparta proſpicere.

§. XIX.

Cæterum ut ſupra quidem §. 13. ubi de translationis cauſa finali, merito excludebatur largior proventus & opimius ſtipendium ex novo officio ad clericum rediens, nec tamen illam ſpem, ſi temperata ac modeſta eſſet, abinde prorſus abjectam eſſe ſtatuebatur; ita etiam ex ſerie iſtarum rationum, quæ a patrono translationem juſte ſuſcipi docent, non ſimpliciter exulare debet hoc ipſum momentum deſumtum a commodo ipſis etiam miniſtris translatis in temporalibus, tum quod ad reditus, tum quod ad honores auctiores attinet, ex nova ſparta hauriendo. Ex modo dictis enim conſequitur, ſummæ eſſe æquitatis, ut, ſi aliquis parochus in ſterili munere ſe fidum atque impigrum præſtiterit, ad pinguius transferatur. Cum enim officia eccleſiaſtica ratione internæ dignitatis eadem ſint, nec, id quod contra diſſentientes Pontificios ſtrenue tuentur noſtrates Theologi, aut epiſcopus

presby-

presbytero, aut presbyter Diacono validius exerceat actiones ministeriales, factum tamen sit libertate ecclesiæ, quocunque tempore aut casu ac graviori causa, ut inde a compluribus seculis ratione externorum aliud alio dignius ac præstantius esse soleat: quis quæso non æquum ducat, ut quam diu hæc tum honorum tum clericorum discrepantia ac subordinatio locum in nostro etiam cœtu repurgato habet, illi, qui in cancellis sterilioribus ad tempus vitam inter multos labores egerunt, in splendidiorem lautioremque majoribus in ecclesiis obeundam provinciam veluti in liberiorem campum, ubi aliqua respiratio iis contingat, emittantur; quo vires ipsorum quamdiu juvenes & viri erant immensis laboribus pares, in provectiori ætate, eaque ad senium declivi reficiantur ac confirmentur.

§. XX.

Sed nunc paucis quoque rationes dissentientium examinandæ veniunt, quibus translationis justitiam infringere moliuntur. Ubi primo se sistit mihi romanæ ecclesiæ opinio, quæ episcopum primam sedem suam relinquere & ad aliam se conferre, absolute illicitum esse dictitat; quia consecrationem ejus intuetur, ut quoddam cum ecclesia sua conjugium, a qua se separare non possit, quin spiritualis adulterii crimen incurrat. In quam sententiam dictum Pauli: oportet episcopum esse unius uxoris virum, sensu quodam mystico & figurato misere detorquetur, indeque demum cum consensu pontificis translatio permittitur (l). Verum enim vero cum ad frigidum hoc assertum, quod nostrates rejiciunt, accurate responderint quam plurimi, neque in ipso argumento quicquam nervi sit, quod quempiam ad assensum commovere queat, sacro Codice disertis verbis Christum unicum ecclesiæ sponsum, episcopos autem atque parochos sponsi tantum amicos ejusque ad sponsam interpretes & internuncios esse confirmante, hisce missis ad alia pergo.

(l) *cap. 2. & 4. X. de Translat. Episc.*

§. XXI.

Nimirum argumentum prolatum excipit tralatitium illud, quo translationem æque ac rebaptizationem minime ſuſcipiendam eſſe lepide ſatis adſtruitur (m). Licet enim baptismus, ſi de hoc certe conſtet, iterari nequeat, (n) elumbis tamen a baptiſmo non iterando ad translationis prohibitionem erit argumentatio, uti quidem primo ſtatim intuitu in ſenſus incurrit. Dein, ut infra videbitur & ad hanc objectiunculam promta eſt reſponſio, quando translationem dicto illi Apoſtolico: Unusquisque, in quo vocatus eſt, in hoc manere debet, contrariari exiſtimatur (o). Apoſtolum enim in allegato textu id tantum requirere, ut quis in eo, quem ſemel elegit, ſtatu, non vero, ut quis in eodem, ad quem ſemel vocatus eſt, loco permanere debeat, Theologi obſervant (p).

§. XXII.

At enim vero gravius obſtare videtur, vix dari translationem, quæ citra ambitionem aut avaritiam ſuſcipiatur. Et ne autumet B. Lector me cum larvis pugnare ac adverſarios ſaltim fingere, OSIUM Epiſcopum auctorem ſiſto, cujus verba in Concilio Sardicenſi, (q) ita ſe habent: *Non minus mala conſuetudo quam pernitioſa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ſua civitate ad aliam tranſire civitatem. Manifeſta eſt enim cauſa, qua hoc facere tentant, cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majori civitate ad minorem tranſiret. Unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari & ambitioni ſervire & ut dominationem agant.* Sed & hanc ſeveri admodum Epiſcopi ſententiam de erroribus ſuſpectam cenſeo: Primo enim ubi de re,

an

(m) *can. 107. de Conſecr. diſt. 4.*

(n) *tot. tit. C. Ne ſanct. baptiſm. iter.*

(o) *1 Cor. VII, 24. c. 1. Cauſ. 21. q. 1. c. 3. X. d. Epiſc. transl.*

(p) DANNHAW: *Theol. Conſc. part. 2. dial. 3. ſect. 3. q. 15.*

(q) *Conc. Sardic. c. 1. conf. c. 1. X. d. Cler. non reſid.*

an juſta ſit, an illicita, diſpicitur, non qualis per abuſum fiat, ſed qualis in ſe ſit, videndum eſt: Abuſu enim optima quævis peſſima fieri poſſe ecquis dubitet? Et ſane non video, qua ratione propter abuſum res ipſa in ſe bona protinus a civitate & eccleſia exulare debeat? Quodſi Epiſcopus ob aliquos abuſus aut nævos, v. g. avaritiam, ambitionem, translationi Clericorum adhærentes ex eccleſia eam ſublatam vollet, eodem argumento ipſum miniſterium verbi, ipſos magiſtratus, ipſum mercatum tollet: Et quis denique in toto orbe nobis integrum relinquet? Secundo loco non tam mihi ſermo eſt de tali translatione, in ſenſu paſſivo, ſeu reſpectu eorum, qui transferuntur, in quibus forte avaritia & ambitio locum habere poteſt ſed de ea, qualis in ſenſu activo ſumitur, & quatenus eſt actus ſuperioris, qui rationem ſuperbiæ & avaritiæ habere non ſolet, aut certe non debet, ſed tantummodo meritorum; Hinc tertio loco res omnis ad pervulgatam diſtinctionem redit: inter id, quod rei per ſe competit, & quod ei per accidens adhæret, Abuſus enim translationi per ſe non ineſt, ſed accidit ſaltim.

§. XXIII.

Alterum, quod OSIUS Epiſcopus pro eradicanda illa mala conſuetudine, quam appellat & pernicioſa corruptela, ſcilicet translatione, urget, hoc eſt: aut nullibi gentium occurrere caſum, ubi quis ad inferiorem minusve opimam parochiam tranſierit, aut futura eſſe hæc rariſſima exempla, & hinc inferunt, & quod diſſentientes ſuo ſuffragio confirmant, miniſtro eccleſiæ etiam non licere opimiorem ſpartam occupare; Aut, ut rectius dicam, hæc ſunt medius terminus proſyllogiſmi, quo Oſius, & qui in ejus ſententiam tranſeunt, probare nituntur, omnem translationem fieri ex ambitione & avaritia, absque dubio ſic colligens: Si nullus unquam inventus eſt Epiſcopus, qui de majore ad minorem civitatem tranſiret, ſequitur eos, qui a minore ad majorem transeunt,

eunt, avaritiæ ardore inflammari & ambitioni ſervire, & dominationem agere, quæ ipſiſſima Oſii verba ſunt, loco ſupra allegato. Poſſemus dubitare de minore, quem is vix ſatis confirmabit, cum illius Dei omniſcii ſit affirmare, nullum unquam epiſcopum ab opimiore ad tenuiorem ſpartam tranſiiſſe: Quod ſi autem miniſter ad minorem eccleſiam, ubi Deo & auditoribus melius, quam in numeroſiori cœtu inſervire poſſit, non tranſit, neutiquam hoc vitio ſubjecti transferentis, ſed nævo ſubjecti transferendi, de quo uberius in §. præced. dictum, fieri affirmandum eſt, ac proinde translationem ipſam ſuſpectam, aut illicitam non reddendam, ſed potius de majore videndum, in qua nullam conſequentiam eſſe judico; Quis enim aſſerere auſit, illam actionem eſſe injuſtam, cujus oppoſitum aut nunquam aut raro exiſtat? Ergone vitam ſuam tueri iniquum eſſet, quia nemo, (ſi a paucis veſanis ſeceſſeris) eam odit, ac ſe jugulandum hoſti ſponte offert? Et magiſtratum aliquem ſuperiorem nemo moderate, & absque avaritia appetet, quia nemo aut pauci illum ſemel nacti, deponunt & ad inferiorem deſcendunt; Et nemo miniſterii candidatus ideo absque avaritia & ambitione ad ſacrum officium accedet, quia nemo privatus vivere velit? Ut ſi quædam humilia & ignava ingenia excipias; Poſt inſtantias autem etiam directe reſpondeatur; Neganda enim eſt major ideo, quia in hac tractatione ſubjectum eſt Theologus, præſtantioribus donis inſtructus, non concionator qualiscunque, imprimis talis, qui majori cœtui per errorem Patroni admotus, aut vario caſu debilitatus illi ob defectum virium utilius præeſſe nequit, minori fortaſſe melius præfuturus, per ea quæ ſupra §. 9. dicta ſunt: Unde etiam Elect. Sax. in Ord. Eccl. (r) ita conſtituit: Da einer wegen ſeiner Geſchicklichkeit und andern fürnehmen von Gott verliehenen Gaben zum fürnehmen und hohen Beruf zu gebrauchen;

Annon

(r) Rubr. von Beruf und Annehmung der Kirchen-Diener §. desgleichen

Annon itaque a ratione alienissimum foret, si minister ecclesiæ elegantissimis donis instructus, ad inferiorem ecclesiam descenderet? Hinc major propositio prosyllogismi sic limitanda est: Si nullus unquam inventus est Episcopus donis eximiis didacticis & majori ecclesiæ administrandæ sufficientibus instructus, qui de majore civitate &c. sic negatur major, nam talis a majore ad minorem transire per honestatem & conscientiam nec debet nec potest.

§. XXIV.

Nec video, quantum roboris illi insit argumento, quod dissidentes post Osii rationes subnectant, in majori ecclesia majores fructus expectari posse, hoc se universale assertum negare, cum interdum plus fructuum in pagis, quam in magnis civitatibus, ubi fere omnia sint corrupta, sperari possit. Sed in hoc negotio non quæritur, quis vulgo finis obtineatur, sed quis obtineri possit, atque adeo sperari ac expectari. Pone disertissimum oratorem ecclesiasticum actu non obtinere majorem usum in civitate quam in pago, an propterea de potentia & possibilitate obtinendi dubitabimus? Vir enim prudens de honesto fine sollicitus circumspicit, quem probabiliter obtinere possit, non quem certo obtineat; nam finis non semper est in potestate agentis. Sic magnis ecclesiis præstantes doctores præficiendi sunt, quos spes & probabile est, finem majoris utilitatis obtinere posse, si etiam actu non obtineant. Nec minor concedetur facile, in pagis inter simpliciores plus fructuum sperari posse, quam in magnis civitatibus, ubi omnia fere corrupta; nam habes etiam in urbibus simpliciores eosque plures numero multo quam in pagis. Imo vero quanto corruptiora omnia in urbibus sunt, tanto magis illis eximio & gravi oratore sacro opus est. Unde per inversionem argumenti, ut Logici appellant, respondere adversariis posset: Probabile enim est, per disertum & probum Verbi Divini præconem corruptos

homines in majori cœtu ecclesiæ permoveri posse, cum parvo cuidam cœtui parochus sincere pius, sanaque doctrina instructus, ceterum mediocriter facundus sufficere possit.

§. XXV.

Adducunt denique dissentientes ad hoc suum de translatione judicium: Non esse relinquendum a pastore gregem curæ suæ commissum, ideo quod alibi pascere possit gregem majoris numeri. Verum enim vero grex quidem curæ pastoris commissus est, sed non ita, quo minus illi unquam discedere liceat; hoc sane in litteris, quibus ad officia sacra vocantur, non continetur, imo sæpe cum spe ascendendi illos vocari praxis hodierna docet. Quemadmodum enim quis pecorum dives pater familias & plurium gregum possessor opilionem parvo gregi adhuc præfectum, perspecta ejus industria ac fide, alii admovere potest ac solet; sic potius in arbitrio Dei, ac superioris per illum agentis repositum manet, an alium gregi præficere velint. Deinde in hoc ipso diffidentium argumento fallacia causæ delitescit. Non enim deserendi gregis causa est ipse alius grex majoris numeri, sive ipse gregis major numerus, sed in grege majori major utilitas; unde si hoc sensu accipias, alibi pascere posse gregem majoris numeri, quatenus notat: alibi pascere posse majori cum utilitate gregem majoris numeri, uti certe accipi debet, nulla sane apparet ratio sufficiens, quæ, quo minus pastori gregem curæ suæ concreditum derelinquere conveniat, vetare possit.

§. XXVI.

Et hæc quidem de priori mutationis clericorum specie, quam translationem appellare cum quibusdam libuit, deque ejus æquitate ac justitia dicta sunto. Nunc ordo me deducit ad alteram mutationis speciem, quæ translocatio audit, & quam involuntariam, incommodam, & pœnalem appellitamus. Atque hoc ipsum disciplinæ genus in ecclesia olim

Africana extitisse, nempe negligentis pœnam Episcopi dignitatis imminutionem, seu de diœcesi majori ad minorem translocationem fuisse, relatum legitur. Uti enim laudi erat episcopo ex diœcesi minori ad majorem, approbante quidem & decernente Synodo, (sine qua, ut supra ostendi, id non erat licitum) transferri: ita probo & dedecori ei erat, per synodale aliquod decretum, etsi non ad inferiorem aliquem ordinem, tamen ad inferiorem aliquam stationem deturbari. Alterum quidem ad instar remunerationis adhibebatur, ad altius provehendum episcopum ob dexteritatem suam egregiamque ecclesiæ datam operam; alterum autem pœnæ loco, ad humaniter admonendum & moderate corrigendum negligentem Episcopum. Atque hoc modo *Laurentium* quendam Episcopum per disciplinam ecclesiæ *Africanæ* punitum fuisse, Augustinus (s) fidem nobis facit. Nec aliud erat in veteri ecclesia *communio* illa *peregrina*, quæ fuit pœna episcopo ex hæresi ad orthodoxiam redeunti imposita, qua non ab ordine depositus, sed ad presbyteros fuit demandatus (t).

§. XXVII.

Hæc praxis antiquæ ecclesiæ cum hodierna fere coincidit. Ut ergo, quæ de translocatione, ejusque æquitate & quod circa illam justum est, dicentur, rectius intelligantur, ante omnia de subjecto illius videndum erit. Subjiciendus autem translocationi est Clericus haud profligatæ impietatis, sed qui affectuum impetu abreptus ecclesiæ particulari aliquoties, aut semel scandalo fuit, neque homo indolis prorsus desperatæ, de cujus emendatione nemo fere cogitare audet, sed quem ad meliorem rediturum esse frugem adhuc opinio probabilis superest, neque denique homo plane *ἀδίδακτος* & ineptus, sed qui donis ministrantibus quantum satis esse

(s) AUGUSTINUS *Epist. CCLXI.*
(t) SCHILTER *J. J. C. L. 1. tit. 19. §. 5.*

esse queat ad explendas concionatoris partes valet; Non itaque Clericum conviviis luxuriosis inhiantem, turpissimis voluptatibus deditum omnisque doctrinæ expertem subjicio. Talis enim non translocatione, sed potius plane remotione ac degradatione dignus est, & ut putidum membrum ab ecclesia & republica rescindendus, ideoque brachio seculari tradendus.

§. XXVIII.

Differt ergo translatio a translocatione subjecto, magis tamen ipsa forma sua, quam non obscure est, consistere in vocatione legitima ab ecclesia majori ad ecclesiam minorem & quod ei accedit, a salario opimiori ad tenuius. Dum autem ad ejus formam refero vocationem, ultro intelligitur, eam in se esse legitimam, & quidem per ea omnia, quæ ut vocationi ad munus ecclesiasticum in genere competunt, ita hic in specie in translocatione deprehenduntur. Nam habes subjectum idoneum, habes & collatorem cum reliquis ecclesiæ statibus suo ordine concurrentibus vocantem ita, ut nihil jure desiderari possit, quo minus legitimæ vocationis species sit translocatio.

§. XXIX.

Cum autem duo in qualibet mutatione observandi termini veniant, nimirum alter a quo & alter ad quem, utriusque etiam termini in hac materia tanto magis habenda est ratio, quoniam potiorem partem ipsius formæ constituunt; Terminus itaque a quo est ecclesia particularis major, quam clericus deserit; ad quem vero minor cœtus, quorsum idem dimittitur; minorem autem ecclesiam nomino, non quia minor leviorque cura animarum aut rerum aliarum sacrarum in illo adhiberi possit, aut quia coram Deo minori sit in pretio, sed potius ob minorem auditorum numerum aut exiliorem locum & dependentem hinc minorem curam atque existimationem clerici externam sive civilem. Quod enim

enim internam parochi existimationem attinet, qualis illa ratione sancti officii est, quo fungitur, ista semper & ubique sine ullo discrimine loci aut temporis est eadem, neque hujus respectu clericus a clerico differt; neque scriptura sacra ullum discrimen agnoscit: Est itaque ecclesia non qualitate, sed quantitate minor.

§. XXX.

De cætero cum, quisquis cum ratione agit, caussis quibusdam commotus agat, quas propterea impulsivas appellant Philosophorum scholæ, etiam iisdem causis translocatio non destituitur. Possunt enim variæ esse, quæ illum, penes quem ecclesiæ cura externa est, excitant, ut de translocando parocho cogitet: Præter illa enim, quæ paulo post de causa finali monebuntur, & suo modo etiam huc pertinent, vulgo causa aliqua movens est scandalum, in ecclesia particulari a parocho excitatum, quale oritur ex rixis, quæ ingenio contentioso aut cum Collegis, aut cum Patrono, intercedunt, cui malo melius non consulitur, quam loci mutatione. Sic etiam ministri ecclesiæ interdum zelo intempestivo & inprudenter adhibito se abripi patiuntur, ut coram suggestu verba faciant asperiora, mente quidem non mala, incauta tamen: Unde periculum turbarum & insidiarum provenire potest. Solet quoque fieri, ut quis nec satis doctus, nec aliis donis ministrantibus satis instructus minus utilis sit magno cœtui. Sed & hoc satis grave momentum est, quo collator moveatur, cogitationes ad translocationem adjicere.

§. XXXI.

Ad translocationis causam finalem imprimis etiam pertinet finis ille primarius, & quidem ut omnium rerum, sic & hujus actionis absolute ultimus, gloria Dei, quam in majori ecclesia parochus sua quadam culpa secundum ea, quæ §. antecedente dicta sunt, quodammodo impediverat, in minori autem ab eo promotum iri probabile est & sperari

poteſt. Non enim ſubjectum inidoneum & quod profligatæ nequitiæ ſit, ſed tale, quod jam ſupra §. XXVII. deſcriptum fuit, ſuppono. Alius, qui primario intenditur finis, itidemque ultimus quidem, ſed ſecundum quid talis eſt ſalus eccleſiæ, ut nempe bene ſit eccleſiis particularibus, eorumque commodum efficiatur, tum illius eccleſiæ, a qua translocatur, id quod fit, ſi præſentia ejusmodi parochi auditoribus ſuis, exemplo ſuo in profectibus pietatis non amplius impedimento eſt: tum alterius, ad quam translocatur, cui donis hujus hominis non inepti, nec indocti, humani tamen aliquid paſſi, nunc autem abſque dubio cautius mercantis, conſuli poſſe probabile eſt. Denique & finis hic datur ſecundarius, ut translocatus emendetur, aut ſi mavis, ſi mentem ſuam mutaſſe re ipſa oſtendat, & poſt emendationem commonſtret, ad majores provincias promoveatur, aut ad priorem forſan eccleſiam, qua antea functus erat, revocetur. Ut enim moroſi parochi ab officio ſuo aliquamdiu ſuſpenſi ad idem in eadem eccleſia ſub ſpe ac promiſſione emendationis iterum admittuntur, ſic nihil videtur prohibere, quo minus idem nunc melior factus in tenuiore eccleſia ad priorem revocari poſſit. Ex quo apparet, eos, in quibus hunc finem obtineri non poſſe, aut probabile, aut certum eſt, removendos ac deponendos eſſe per §. XXVII.

§. XXXII.

Ex iis proinde, quæ adhuc diſputata ſunt, haud dubie intelligendum eſt, inter complura adjuncta translocationis, hoc eſt conceptus ſecundarios ex conceptu ejus eſſentiali & primario fluentes, quales ſunt v. g. neceſſitas, utilitas, æquitas, caput offerre juſtitiam, quam ei non minus ac translationi indicare animus eſt. Juſtam proinde eſſe translocationem, certe non improbandam, ſequentia argumenta probabunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Primo loco sumo, quod nemo, spero, largiri dubitabit, magistratui debere liberum esse, quomodo in ατακτυς seu immorigeros, quibus pœna in sacris literis expressis verbis (uti e. g. in homicidio) non est constituta, animadvertere velit; nunc Clericis, qui aliquid in ecclesia animadversione dignum commiserunt, certam pœnam constitutam esse non legimus, ideoque magistratus non culpandus erit, si ministro ecclesiæ pœnam ex arbitrio, vel pro modo admissi constituat: Pœnæ autem rationem habere translocationem hinc apparet, quoniam per illam tum existimationi parochi externæ, tum reditibus ac rei familiari derogatur; atque adeo ei aliquod malum passionis, ob malum actionis, quæ forma pœnæ est, infertur. Quanqam enim ipsum sacrum officium, quo in minore ecclesia fungitur, pœna non est, sed honor ac dignitas; adjuncta tamen ejus jam commemorata respectu eorum, quorum per translocationem jacturam ferunt, pœnam dici haud est incongruum.

§. XXXIV.

Accedit, in qualibet pœna rationem tum qualitatis, tum imprimis et quantitatis peccatorum commissorum haberi debere, ne malum passionis superet malum actionis. Quemadmodum enim quantitate tum graviora tum leviora delicta dantur, sic ea a Magistratu tum gravioribus tum mitioribus pœnis compensanda sunt, per justitiam vindicativam ac retributivam, quam æque ac æquilibrii observantissimam esse oportet. Unde si in parocho delicta quædam minora deprehendantur, quibus minor quidem animadversio, ut correptio, mulcta, carcer vix sufficiant, quæque tamen plenariam depositionem ab officio aut aliam civilem castigationem severiorem haud meruerint, medium in pœna infligenda tenendum erit; hæc autem via media commodissime invenitur in hocce temperamento inter præsentem parochi ατακτυ

fufficientiam victus, aut etiam abundantiam, qua nunc in opimiori fparta gaudet, & ejus extremam penuriam, ad quam per depofitionem adigeretur. Illa fe indignum reddidit per inconfideratam morum fuorum rationem; hac autem 'li injuria fieret, quia fcandalo quidem fuit fuæ ecclefiæ, fed mente non prorfus perverfa affectuum impetu abreptus, aut quicquid denique in favorem caufæ fuæ allegare poffet. Si quis excipiat, hoc in cafu ideo translocatione opus non effe, quia alia detur via intermedia; poffe eum miniftrum ecclefiæ fuspendi interim ab officio & tertia falarii parte ad tempus usque emendationis fperatæ ali, aut e fifco ecclefiæ aut reipublicæ fuftentari: is perpendat velim, annon hinc plus quam inde incommodi metuendum fit; fiquidem fufpenfio non minus ac depofitio ipfa majorem injuriam, quam meruerat, miniftro ecclefiæ infert; quippe qua exiftimatio clerici & auctoritas apud auditores fuos valde attenuaretur, difficulter fane tunc refarcienda, cum ad rem facram tractandam poft tempus pœnæ ei redeundum foret. Imo fi tertiam falarii partem interim referret, nihil agens, aut fifci ecclefiaftici, vel ærarii publici ftipendio nutriretur, magno hoc cum detrimento ejus, qui interea labores paftorales obiret, & cum ingenti onere reipublicæ conjunctum effet. Et denique, an fatis honeftum & æquum fit, interea ignavum fumtibus alienis pafcere, judicet, qui volet.

§. XXXV.

Quodfi præterea, ut par eft, fupponas, fubjectum translocandum effe hominem 1) non profligatæ impietatis, fed qui affectuum impetu abreptus ecclefiæ particulari fcandalo fuit, 2) hominem nondum defperatæ indolis, fed de quo fperari poteft, eum emendatum iri, 3) hominem non ineptum, fed qui donis miniftrantibus inftructus eft, non ergo compotatorem, aleatorem ignavum, indoctum &c. §. 27. Sane vel ullum in hac translocatione incommodum haud animad-

animadverto: Ut enim illi ecclesiæ, a qua parochus recedit de alio digno ministro prospici solet; sic non modo hujus tranquillitas facile obtinetur, sed & alteri, ad quam transit, ecclesiæ, nihil ex hac translocatione metuendum: Nam ecclesia, ad quam translocatur, causam non habet repellendi ejusmodi parochum, haud secus ac vicinæ provinciæ non debent exulem e patria ob crimen aliquod repellere. In illa enim parochia non peccavit, potest ergo debetque ab illo bene sperare, accedente imprimis magistratus voluntate, cui ecclesiam lubenti animo obtemperare oportet.

§. XXXVI.

Porro hoc etiam quam maxime considerandum est, quod hisce rationibus nitantur saluberrimæ constitutiones domesticæ & ipsa translocandi potestas Consistoriis concessa, quibus junctim translocationis justitia non inepte defenditur: Quo jure enim translocatio & potestas translocandi ministros ecclesiæ concederetur Consistoriis, si hæc per se illicita & prohibita esset? Qui aliter sentiunt perpendant velim quid agant; annon eo ipso sanctionibus patriis ecclesiasticis & tam prudentum virorum decretis illud detrahere moliantur, quod alioquin de omni lege in dubio præsumitur, justitiam scilicet. Accedit & hoc, quod cum nuspiam extet peculiaris quædam prohibitio, quæ hanc ipsam translocationem interdicat, illis perinde erubescendum sit, qui sine lege sic loqui contendunt.

§. XXXVII.

Postquam itaque argumenta, quibus translocationem de pastoratu superiori ad inferiorem, seu de opimo ad sterilem justam dixi, & illam quidem, quæ fit in pœnam propter leviora delicta ministri Ecclesiæ, prouti ille a me subjectus est, exposui; nunc paucis ipsæ quoque rationes dissentientium examinandæ sunt, quibus reprobare hanc translocatio-

 nem

nimirum, qui nec esurire volunt, nec omnem existimationem proculcarunt: Datur itaque tertium inter humilitatem & superbiam, interque avaritiam opumque supinum contemtum. Nempe quoniam omnino habenda est ratio peccatorum, quæ non meruerunt depositionem aut aliam severiorem castigationem civilem, translocatio, seu medium illud inter præsentem victus sufficientiam, & eam, quam depositio operatur, penuriam illis omnino pœna est, qui mentis & morum exilium haud plane patiuntur. Tales enim supponit modo laudatus STRYCKIUS, nimirum clericos voluptati in gula deditos, ebrietatos, quibusve prorsus rixas movere & sustentare in consvetudine positum est, homines perinde desperatæ indolis & profligatæ nequitiæ, quales ego quidem translocationi haud subjeci nec subjiciendos esse existimo, sed ejusmodi potius farinæ clericos, quos emendatum iri spes & oppido probabile est, ut ergo, quænam in castra sit transeundum, sua sponte patescat.

§. XXXIX.

Porro dum translocatio fieri debet ad ecclesiam ignobiliorem, eo ipso statui existimat, esse unam ecclesiam altera digniorem, quod iterum falsum sit fundamentum. Verum ad hanc objectionem respondeo, litem moveri in terminis: De eo enim ante omnia constare debet, quid per subjectum & prædicatum hoc loco intelligatur. Jam vero distinguendum erit inter ecclesiæ qualitatem & quantitatem. Illo utique respectu una est vera ecclesia, catholica, scil. illa & universalis per totum orbem dispersa, quæ, quamvis in plures particulares dividi soleat, non tamen una pro digniore altera est habenda, si qualitatem intrinsecam spectes. Quid vero obstat, quo minus posteriori sensu, nimirum quod ad quantitatem attinet, una ecclesia altera censeatur minor aut ignobilior, non quod coram Deo minori sit in pretio, sed

potius

potius ob minorem auditorum numerum, aut exiliorem locum & dependentem hinc minorem curam atque existimationem clerici externam, sive civilem: nam hæc sunt diversa, nec una assertio alteram tollit, uti ea omnia supra §. 29. pluribus excussi.

§. XL.

Sed & hoc, pergit Auctor, fundamenti causa præsupponere illam sententiam communem, quod videlicet aliquis ad emendationem vi compelli possit. Nescio tamen, annon id ipsum de omnibus pœnis generaliter asserendum sit, cum non facile volentes, sed vel maxime inviti pœnam sustineant omnes, nec per illam directo ad frugem reducantur mortales, quorum mali mo[illegible] proveniunt ex principio illo interno, quod omnem coactionem respuit. Ergone simili ratione omnes pœnæ e foris Christianorum proscribendæ essent, quoniam finis emendationis internus a Judice qua tali vix ac ne vix quidem obtineri possit? Sane hoc ipsum & sensui veri & falsi & [illegible] quoque eventui adversari existimo. Dein & pœna eo fine imponi solet, quo alii exemplo animadversionis a delictis deterreantur. Imo mutationem loci emendationem mutanti (passive tali) adferre posse, usus aliquando evincit. Audiamus hanc in rem ISIDORUM, (x) cujus verba ita se habent: *Valet interdum conversis pro animæ salute mutatio loci. Plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Congruum est enim, inde etiam corporaliter avelli, ubi quisque prave vixit, hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi vel cogitavit vel gessit.* Et ita mutatio hæc involuntaria & pœnalis a mente canonum non adeo aliena est, ut vulgo putatur, sed potius vestigia quædam, unde ortum traxisse videtur, in loco jam allegato occurrunt. Sed hæc obiter.

§. XLI.

(x) *c. 9. D. 81.*

§. XLI.

Pergo itaque ad aliud, quod venditatur, præſuppoſitum, indigniſſimos etiam & peſſimos homines miniſtros eccleſiæ & lupos paſtores eſſe poſſe. Verum & hic nego atque pernego, ſemper in hac translocatione pœnali paſtorem ſupponi peſſimum, quippe qui potius ex mea quoque ſententia eſt ejiciendus, quam alii eccleſiæ, licet minori præficiendus. Nam & minoris eccleſiæ æque curam habendam eſſe lubens largior, ac quidem majoris, & qui indignus eſt, ut majori præſit eccleſiæ, ille minori fidelium cœtui obtrudi nequit. Illam vero translocationem tantummodo approbandam & in uſum deducendam eſſe hactenus aſſerui, quæ utilitati eccleſiæ ſeu totius cœtus prodeſſe queat. Diſtinguenda eo nomine ſunt ſubjecta & objecta & pluribus concordabit veritas. Subjeci autem diſquiſitioni huic ſemel pro ſemper clericum non ineptum nec profligatæ nequitiæ, ſed talem prorſus, qui, lapſu forte juventutis, humani quid paſſus eſt, ad cujus translocationem pro removendo ſcandalo ſive dato ſive accepto, & ne ille ad incitas redigatur, tunc demum merito deveniendum putavi, ſi remotio nimis rigoroſa eſſe videatur. Licet enim ejusmodi parochus eccleſiæ ſuæ ob leve admiſſum hactenus offendiculo fuerit, inde tamen, quo minus homo non plane indoctus, nec deſperatæ indolis correctionis cauſa & ad removendum ſcandalum alium in locum ſequiorem transferri, ejusque donis miniſtrantibus, alteri, ad quam translocatur, eccleſiæ conſuli poſſit, non video quid obſtet, cum potius imbecillitatis humanæ memores, media quibus clerici peccatores in viam ad reſipiſcendum redigi poſſint, omnia tentare debeamus, quod ſæpius inculcant præcepta ſanctiſſimi Salvatoris noſtri & Apoſtolorum.

§. XLII.

Tandem ſtatuit celeberrimus auctor, multa adhuc apud nos latere de charactere illo indelebili, quem pontificii in clericum per ordinationem conferri effingunt; unde, cur noſtri adeo difficiles ſint in removendis impiis ec-

clesiæ Ministris, ut potius in omnia alia eant, quam ut hoc faciant, apparere, contendit. Vereor tamen, ne ratio probans æque dubia sit, ac ipsa thesis probanda: Etenim principium petit, quod de charactere illo mere cerebrino, quem nostri ignorant, una cum conclusionibus inde dependentibus adstruitur; ergo, cum leviora clericorum peccata, non remotione, sed translocatione, aut alia quacunque leviori pœna plectuntur, id profecto non tam characteri ordinis, quam potius justitiæ legali adscribendum venit. Uti enim in pœnis infligendis æqualitas semper observanda est; ita etiam non omnes clericorum excessus remotionem statim merentur, sed gradatim potius, quod hactenus obtinuit cum tali præsertim pastore peccante procedendum, eique tempus agendi pœnitentiam concedendum, qui licet aliquando tentationibus succubuerit, & in hæc vel illa peccata prolapsus sit, nihilo tamen minus dignus ita probusque reperitur, ut ipsum peccata agniturum seriamque pœnitentiam acturum esse, cordatiores præsumant.

§. XLIII.

Sed Cynthius aurem. Plura enim persequi, non vacat; liceat tamen corollarii loco non nihil addere de permutatione officiorum ecclesiasticorum, quæ inter duos ecclesiæ ministros non in pœnam, sed itidem ob ecclesiæ utilitatem contingit. Nimirum ex tali mutationis actu videre est, sola illum privata voluntate fieri non posse, (y) sed dum demum obtinere, si justa & rationabilis causa adsit, quæ utilitatem ecclesiæ, vel constitutionem corporis alterutrius concernit, dein si una cum approbatione Episcopi vel consistorii consensus Patroni & Parochianorum adhibeatur (z). Quodsi horum consensus legitime requisitus sit, illi autem inique dissentiant, cum tamen utilitas ecclesiarum utrinque permutationem desideret, patronos etiam cogi posse a Consistorio ad consensum impertiendum, extra omnem dubitationis aleam positum est.

(y) c. 8. X. de Præbend. (z) *quam in rem Rescripta Seren. Elect. Sax. congessit Andr.* BEYER *addit. ad Bened. Carpz. Jurispr. Eccl. Lib. I. Def. CXIII. CXIV.*

F I N I S.